



## PRAEFATIO EDITIONIS TERTIAE.

**H**abetis itaque, si qui mea putatis aliquid esse, tertiam metaphysicorum, quae scripseram ante decennium, editionem, quam non sine noua correctione passus sum in lucem denuo prodire. Sectionum numerum auxi, plures inscripsi titulos. Quaedam mutauit, non omnino nihil adieci. Neque tamen repetam, quae iam olim praefatus sum, quia poterunt in antecedentibus aequi legere iudices, iniquos, ut nunc certe legant, non possum adigere. Horum expertus sum aliquos in qualibuscunque meis scriptionibus examinandis. Quibus ideo, quia minus aequi fuerant, si non respondeo, sunt alii mihi hoc ipsum meum silentium vitio vertentes. Vnum notemus exemplum. Dixeram in prima, quam edidi, dissertatione poema *sensitiuam orationem perfectam*. Vere dictum adhuc puto. Fuit autem, qui scriberet me dixisse poema orationem *perfecte sensitiuam*, et deinde significatum perfecti iam inter philosophorum ipsos pueros notissimum detorqueret in vulgarem illum, quo *perfecte* pro  
omni-